



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ULAANBAATARENSIS\*** NOVA IN MONGOLIA  
PRAEFECTURA APOSTOLICA

CONDITUR ULAANBAATARENSIS APPELLANDA De universa catholica communitate solliciti, cuncta disponere solemus ut Evangelii nuntius et Domini salutaria beneficia omnia loca contingant et quam efficacissime vel ad longinquos populos perveniant. Nunc gentes versantur ob oculos Nostros quae in Mongolia commorantur, cui omnibus ex partibus opportuna subsidia commodare properamus. Quandoquidem igitur Missio inibi sui iuris Urgaënsis, Congregationis Immaculati Cordis Mariae sodalibus commissa, haud mediocre cepit incrementum, ipsis sacris ministris laudabiliter adlaborantibus, utque voluntates ad alacriora agenda proximos in annos opera sustineantur, de Congregationis pro Gentium Evangelizatione iudicio, adsentiente Venerabili Fratре Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi atque in Mongolia Apostolico Nuntio, Praefecturam Apostolicam *Ulaanbaatarensem* condimus, et eam curis demandamus Congregationis Immaculati Cordis Mariae. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem quem supra memoravimus legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud*

*Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 8, p. 512-513 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana